

EMBLEMA C.

Corrumpit lumina fumus.*Non bene conueniunt hæresis, atque Fides.*

Quid tentas oculis fœdum connectere fumum?
 An solem, & tenebras posse coïre putas?
 Tam genius longè est, & mos diuersus vtrisque,
 Quam cane cum sæuo felibus esse solet.
 Inquinat impurus lucentia sidera fumus,
 Ast oculi puræ lumina lucis amant;
 Stant in fronte oculi nitidæ velut æthere flammæ;
 Fumus at obscuro est turpis ab igne vapor:
 Et vigor est oculis, & vis pretiosa videndi,
 Fumus at immundæ pallia noctis habet.
 In cœlis oculus fulgentia prospicit astra,
 Fumus in aëria sed regione perit: